Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1749

Quelle:
Copyright:

filius) mercium cauſſa *Praga Bononiam* redeuntem rogatum fuiſſe a *Sixto* quodam *Picardita*, ut *Apologiam Fratrum* ſecum auferret judicioque docti cujusdam Theologi *Bononiae* ſubſterneret. Re praeſtita *Apologiam* illam communicatam fuiſſe a *Vincentio* Canonico cuidam *Olomucenſi Bernardo*, qui malam *Fratrum* illorum fidem ſuſpectans, inito cum *Wenceslao* conſilio, *Apologiam* illam ad doctum quendam D. *Dominici* Sodalem ſententiam ejus exquiſiturus comite *Wenceslao* detuliſſet. Ibi cum inter alia in Communionem ſub utraque ſpecie a *Fratribus* adſertam incideret, dimiſſa *Apologia*, rogatum a *Bernardo* Dominicanum illum, quid his, *quos alii Huſſitas*, *nonnulli vero Calixtas*, *pars Boemos appellant*, reſpondendum foret idem docentibus. Atque hic orditur Diſceptatio, *Bernardo* ſimulate, ut quidem ſcribit Noſter, partes *Calixtinorum* acriter tuente, Theologo vero illo *Rom.* Eccleſiae uſum defendente. Quae diſceptatio quo tandem evadat, dicere nequeo, cum Exemplum noſtrum in his verbis: *nec alia magis ſub conditione mihi perſuadebitur eccleſiam catholicam* —— abrumpatur. Eſt illud gloſſis cum bohemicis, tum latinis inter lineas paſſim conſperſum. Epiſtolam ipſam non ante annum 1504. *Bononia* miſſam docet mentio *Apologiae Fratrum*, cujus prima Editio ad *Wladislaum* Regem hoc anno lucem vidit, *Apologia* altera anno 1507. ſuccedente. Utraque *char. goth.* 8. mihi objacet.

II. *fol.* 14. ſuccedit Index alphabeticus in *Decretum Gratiani* finitus, ut habes in calce, *Anno 1469. feria 2. in die auguſtini.*

III. *fol.* 50. Epiſtola polemica, quae hanc inſcriptionem praefert: *Johannes de Rokyczana Franciſco de Toleto ſalutem.* At vero alia manu ſupra notatum: *Martinus ſenior in zacz*, et ad calcem: *Hec Martinus ſenior miſit Magiſtro Rokiczane ex zacz ad vota, quia ſibi miſerat tractatulum ſepe nominati franciſci in zacz vt eum conſpiciendo aliqua conſignaret, quod et fecit, vt patet.* Quae ita concilianda videntur, ut *Rokyczana* argumentis a *Martino* illo *Zatecenſi* ſibi ſubpeditatis ad Epiſtolam informandam uſus fuiſſe dicatur. Ingreditur vero ille ad hunc modum: *Ad ſcripta tua mihi vltimo miſſa licet multis et plurimis valde occupatus nihilominus reſpondere adiuuante deo non negligam* &c. Incuſaverat *Franciſcus Rokyczanam*, quod impatienter contra *Joh. Capiſtranum* egerit. Reſpondet hic: Virum illum *peſtiferum capiſtro diabolice artis animas capientem*, *non venerandum ymo vere venenandum*, *venenantem et venenatum* totam Bohemiam armis in ſe ipſam vertere voluiſſe. Atque hinc liquet, *Epiſtolam* ſcriptam poſt an. 1452. imo 1458. quo *Pius* II. Pontificatum adeptus eſt, qui *Franciſcum* noſtrum *Toletanum* in *Bohemiam* ablegavit.